

Directions: Translate the highlighted section.

Aeneid II.771-789

Quaerentī et tēctīs urbis sine fīne ruentī

īnfelīx simulācrum atque ipsius umbra Creūsae

vīsa mihi ante oculōs et nōta maior imāgō.

Obstipūī, steteruntque comae et vōx faucibus haesit.

Tum sīc adfārī et cūrās hīs dēmere dictīs: 775

‘Quid tantum īnsānō iuvat indulgēre dolōrī,

Ō dulcis coniūnx? Nōn haec sine nūmine dīvum

ēveniunt; nec tē comitem hinc portāre Creūsam

fās, aut ille sinit superī rēgnātor Olympī.

Longa tibi exsilia et vastum maris aequor arandum, 780

et terram Hesperiam veniēs, ubi Lȳdius arva

inter opīma virum lēnī fluit agmine Thybris.

illīc rēs laetae rēgnumque et rēgia coniūnx

parta tibī; lacrimās dīlēctae pelle Creūsae.

Nōn ego Myrmidonum sēdēs Dolopumve superbās 785

aspiciam aut Graīs servītum mātribus ībō,

Dardanis et dīvae Veneris nurus;

sed mē magna deum genetrīx hīs dētinet ōrīs.

Iamque valē et nātī servā commūnis amōrem.!

Directions: Translate the highlighted section.

Aeneid II.790-804

Haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem 790

dīcere dēseruit, tenuēsque recessit in aurās.

Ter cōnātus ibī collō dare bracchia circum;

ter frūstrā comprēnsa manūs effūgit imāgō,

pār levibus ventīs volucrīque simillima somnō.

Sīc dēmum sociōs cōnsūptā nocte revīsō. 795

Atque hīc ingentem comitum adflūxisse novōrum
inveniō admirāns numerum, matrēsque virōsque,

collēctam exsiliō pūbem, miserābile vulgus.

Undique convēnēre animīs opibusque parātī

in quāscumque velim pelagō dēdūcere terrās. 800

Iamque iugīs summae surgēbat Lūcifer Īdae

dūcēbatque diem, Danaīque obsessa tenēbant

līmina portārum, nec spēs opis ūlla dabātur.

Cessī et sublātō montēs genitōre petīvī.

Directions: Translate this passage literally.

Aeneid IV.1-19

At rēgīna gravī iamdūdum saucia cūrā
vulnus alit vēnīs et caecō carpitur ignī.
Multa virī virtūs animō multusque recursat
gentis honōs; haerent īnfīxī pectore vultūs
verbaque nec placidam membrīs dat cūra quiētem. 5
Postera Phoebēā lūstrābat lampade terrās
ūmentemque Aurōra polō dīmōverat umbram,
cum sīc ūnanimam adloquitur male sāna sorōrem:
“Anna soror, quae mē suspēnsam īnsomnia terrent!
Quis novus hic nostrīs successit sēdibus hospes, 10
quem sēsē ōre ferēns, quam fortī pectore et armīs!
Crēdō equidem, nec vāna fidēs, genus esse deōrum.
Dēgenerēs animōs timor arguit. Heu, quibus ille
iactātus fātīs! Quae bella exhausta canēbat!
Sī mihi nōn animō fixum immōtumque sedēret 15
nē cui mē vinclō vellem sociāre iugālī,
postquam prīmus amor dēceptam morte fefellit;
sī nōn pertaesum thalamī taedaeque fuisset,
huic ūni forsan potuī succumbere culpaē.